



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quæ fuerit illa clarificatio filij hominis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Gentilem putabant Iudæi, ultra columnas inducerat.

§. 2. Legem Romanam qua aliena sacra vetarentur fuisse non nego, sed de facris publice colendis non de priuatis religionibus acceptam aio; nec tamen obstitisse, quin Roma omnium gentium seruiret idolis, quin etiam Cornelius, alique centuriones Iudaicam religionem susciperent, eatenus certe, vt vnus cultores Dei efficerentur. Quin multos profelytos esse factos constat, ficta est illa legum seueritas. Fictum & illud: Gentium dona non accepta fuisse, & iudicasse Iudæos sacrificia sua illo commercio pollutum iri, vt constat ex 2. Macc. 3. Nam Seleucus Asar rex prestabat de rebus suis omnes sumptus, ad ministerium sacrificiorum. Verissimum igitur est, quod Beda docet: *Fama & miraculis templi gentes accitas, preces fuisse, animo quo poterant, & sacrificia obtulisse.* Quod si tanta cura fuit Iudæis, profelytis, aliisque fidem suam publice profitendi, quid à nobis requireret Dei maiestas, postquam in redemptionem vniuersum suum misit?

*Gentes Iudæismū suscipiebant.*

*Cur dubitant eos ad dominū admittere.*

Cur ad Philippum venerint causæ variæ adferuntur, verior illa est, quod ille primus occurrerit. Cur vero non ille Christo statim indicaret, sed Andream consuluerit, ratio fuit, quod meminissent Christum Chananaeam reiecitisse, nec apostolos quidem intercedentes audisse, sibi etiam mandatum: *in viam ne gentium abieritis.* Nec tutum videbatur coram Iudæis in templi parte exteriori cum gentibus agere. Iam enim contumeliose quaesierant; *Nunquid in dispersionem gentium ibit? & docturus est gentes?* Deliberant igitur prætine illos dimittere; an domino indicare, posterius consilium placuit, an vero eos admiserit Christus ad colloquium, non liquet.

§. 3. Caluinus quod Christum non nisi petita venia adierint reuerentiæ causa factum docet: nec inde tamen probari sanctorum inuocationem. [Hoc reuerentiæ signum est, quod Christum non compellant, sed per Philippum cupiunt patefieri sibi accessum. Reuerentiæ enim modestiam semper ex se gignit. Quod autem hinc colligunt Papistæ, inuocandos esse mortuos, vt nobis apud Christum, & patrem sint patroni, magis ridiculum est, quam vt refutatione indigeat. Loquuntur Græci coram cum Philippo: qui mortuos inclamat, à quibus est separatus, quid obsecro habet simile? Sanctorum inuocationem temere commenti sunt Papistæ ex suo cerebro.]

Respondeo. Hinc colligere Papistas, reuerentiæ esse, & modestiæ cum sanctis ad Christum accedere. Hoc sane consequitur: nihil nos gloria Christi detrahere, cum per alios eum intercessores precamur. Si enim non peccabant gentes, quod Philippo agente, & quasi admissionali, ac interuentore aditum ad Christum patefieri cuperent, non potest nobis vitio verti, si eadem reuerentiæ sanctorum patrocinia petamus. Nec est ille humanæ audaciæ fructus, sed diuinæ institutionis, quod enim sanctos vocat mortuos, nos scimus mundo, & corpori mortuos, sed Christo viuere, illi assistere: posse intercedere. Sicut enim angeli vident semper faciem Dei, ita & illi, quos per contumeliam ille mortuos appellat. Quod vero commentum Papistarum esse calumpniatur, causam nostram egregie adiuuat, cum omnes qui sanctos inuocant, Papistas appellat, hoc est orbem vniuersum, quam late patuit Christianismus.

*Reuerentia in Catholicis.*

Certe, qui Paulam defunctam sæculo, Christo viuentem hunc in modum inuocat Hieronymus, Romanæ Ecclesiæ assertor fuit. *Vale ô Paula, & cultorū tui senectam orationibus tuis iuuua.* Nec procul tam à Domino agere credidit: cum adiungit. *Fides & opera tua, te Christo sociant: præsens facilius, quod postulas, impetrabis.* Contra Caluinum idem ille respondet, quod contra Vigilantium olim probante vniuersa Ecclesiæ docuit.

Nempe Philippum & Andream viuos & mortuos nostram causam agere, aut potius non mortuos, sed melius viuentes. Ita aduersum Vigilantium c. 3. *Diis in libello tuo, quod dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus: postquam autem mortui fuerimus, nullus sit pro alio eandem oratio; præsertim cum martyres vitionem sanguinis sui obsecrantes impetrare non quisuerint, si Apostoli & martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto magis post coronas, victorios & triumphos?*

Huius in locum Dormitantij nunc substitutus est Caluinus, & ingulatum olim argumentum protrahit, & nouo facio indutum, quasi nouum vendicat. Ergo cineres suos amant anime martyrum, dicebat Vigilantium, & circumuolant eos, semperque præsentis sunt, ne forte, si aliquis precator aduenerit, absentes audire non possint. Cui Hieronymus: *ô portentum in vltimas terras deportandum. Rides de reliquis martyrum, & cum auctore huius hæreses, Eunomio, Ecclesiæ caluinianam struis, nec tali societate terrens, vt eadem contra nos loquaris, que ille contra aliorum Ecclesiam loquitur.*

Aliorum in hunc sensum patrum sententias omitto. Hoc mihi satis totam veterem Ecclesiam in Vigilantio damnasse Caluinum.

## VERSUS 21. & seq.

*Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes, Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreas: Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur filius hominis, &c.*

## QVÆSTIO I.

*Quæ fuerit illa clarificatio filij hominis?*

§. 1. *Ἰνα δοξασθῆ, vt glorificetur, seu gloria illustretur.* Multi auctorum de passione, alij de resurrectione, & ascensione, nonnulli de Euangelij prædicatione, & gloria Christi inter gentes interpretantur. Mihi dubium non est, de omnibus illis coniunctim Christi responsum esse intelligendum. Vixerat annos triginta & medium, supererat ad mortem dies pauci, cætera consuetura erant, nec ratio est, vt ad vniuersum potius mysterium restringamus, quam ad omnia sequentia extendamus miraculū, mortem resurrectionem, ascensum, &c. De morte quidem ipsum loqui similitudo indicat: nam vt granum frumenti cum sulcis mandatur resolui, & putrescere videtur, maxime vires exerit, radicales agit, & parte sui, quæ pinguis & viuida est germinat, quod fieri non posset nisi aliis partibus resolutis, & viuia illa particula mollesceta, ita quoque filius hominis, quando iactatus, obrui, & sepeliri videbatur, gloriam suam ostendit, inors fuit regenerationis quæ tandem caput cælo extulit, & gloria sua mundum vniuersum impleuit. Gloria ergo cum omnino opprimi, & obscurari videretur, occulte gliscebatur, & radices eternitatis spargebat, nec in illa tamen germinatione duntaxat consistebat glorificatio, non enim filius hominis grano morienti & occulte germinanti, sed in spicas, & fructuū multitudinem exiuiti cōparatur, quare resurrectio, & ea quæ secuta sunt, etiam interpretatione sunt comprehendenda, & multus fru-

*Clarificatio ad omnia sequentia pertinet.*

tus fructus, quem granum adfert, conuersionem gen-  
tium indicat, quæ solitudini grani non morientis est  
opposita. Occasio etiam hoc indicat: dum enim lu-  
dai & Christum & Lazarum occidere decernunt, gen-  
tes eum adoraturi veniunt, eorum enim salus morte  
Christi seminata, & Christo sub terram complantata  
lex in initium habuit. Resurrectionem & ascensionem  
quoque glorificationis nomine intelligi præcipue, tum  
ex eo constat, quod dictum est supra; Spiritus nondum  
erat datus, quia Christus nondum erat clarificatus. Et v. 16.  
Quidam clarificatus est Iesus, tunc recordati sunt. Omnia igitur  
illa siue dura, siue læta clarificationis nomine pro-  
ponit, ne morte eius audita animis cadant discipuli.

VERSVS 26.

*Si quis mihi ministrat, me sequatur:  
& ubi sum ego, illic & minister  
meus erit. Si quis mihi ministrauerit,  
honorificabit eum Pater meus.*

QUESTIO I.

*Quomodo honorificabit eum pater?*

§. 1. Ministros à patre honorandos esse dicit: *μιστ-  
ροί*, nempe honore aeterno, honorati enim sunt ami-  
ci Dei nimis. Honor enim proprie virtutis est præmium.  
*μιστρός* dicitur *εἶναι τὸ γέρας*; Honor virtutis est præmium.  
Aristoteles id recte sentit, l. 1. Ethic. c. 5. & l. 4. c. 23. Na-  
tura enim ita comparatum est, ut in hoste quoque vir-  
tus & ametur, & honoretur; quocirca gentium pruden-  
tiores bonorum virorum virtutes, etiã post mor-  
tem laude, & benevolentia profecti sunt: vt docet  
Eusebius l. 10. de præparatione Euangel. c. 7. l. 7. Ea  
causa igitur Ecclesia sanctos Apostolos & Martyres  
perpetuis honoribus celebravit. Hinc martyrum mo-  
numentis omnia iam S. Augustini temporibus plena  
fuerunt. Ita Gregorius l. 2. dial. c. 8. *Castrum, quod Cas-  
simum dicitur, in excelsi montis latere situm est, ubi vetustissi-  
mum sanum fuit, &c. itaque illuc vir Dei Benedictus pergens  
construit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso  
templo Apollinis, oraculum B. Martini, ubi vero ara eiusdem  
Apollinis fuit, oraculum S. Ioannis construxit.*

Et l. 3. c. 9. l. 1. epist. 54. & l. 5. Epist. 145. & l. 7. Epist.  
indict. 2. c. 9. Vetustissimus fuit in martyrum festis  
celebrandis honor. De eo Clemens Romanus l. 5.  
c. 8. vide editionem Turriani c. 7.

Et Iustinus apol. 2. ad Antoninum imperatorem.  
Gentiles vero Christianos olim calumniabatur, quasi  
martyres pro diis colerent, vt constat ex vetustissimis  
Iust. no., aliisque, q. 28. responderet. Eadem Vigilantius  
ex barathro pectoris sui euomebat, vt est apud Hiero-  
nymum Epist. 5. libro contra eundem c. 3. & Epist. 53.  
ad Riparium, & c. 8. in Epiraphio Matcellæ.

Hæc ergo ratio honorandorum sanctorum iam à  
principio in Ecclesia fuit: imo & apud veteres. Omnia  
Patriarcharum ex Aegypto secum Israelitæ extulerunt,  
Davidis sepulchrum etiam apostolorum tem-  
poribus Ierosolymis viscebat. Honor autem mor-  
tuorum ille est, quem ratio, fidesque nobis dicitur, cum  
certo sciamus eos cum Christo regnare, atque adeo  
Dei esse voluntatem, vt quos honoratos ille voluit,  
nos quoque honorandos esse censeamus.

§. 2. Meritum etiam, & mercedem esse bonorum  
operum ex eo discimus, quod secum fore ministrum  
suum Christus pollicetur, quod ministerium Christo  
exhibuit pater dicitur honoratus. Honor enim  
ille non absolute decernitur, sed tanquam debitus mi-  
nisterio, debitus inquam ex i. ministerio. Imo hic iam

promittitur. Quod si filij ministrum non honorat pa-  
ter, irrita est promissio filij, qui promissa mercede ad  
obsequium omnes inuitat. Quinetiam quod mireris  
Zwinglio veritas illa excidit. Nam in horum verborum  
expositione diserte dicit, *Christum eos vtilitate, &  
premio allucere. Qui vero præmio allexit, etiam ex iusta  
fidelitate præmium dare tenetur, quod promissit. Mi-  
nistrum porro sequi iubet, bona agendo, mala tole-  
rando, crucem ferendo, non seipsum occidendo, vt  
impie olim circumcelliones docuerunt. Iam olim  
hunc locum ex apostolorum discipulatu, & sensu ex-  
posuit Irenæus l. 4. c. 28. Nec nostro ministerio indigens ius-  
sit, vt eum sequeremur, sed vt nobis ipsis attribueret salutem,  
& sequi lumen, participare est lumen, &c. Deinceps vero:  
sic & seruitus erga Deum, Deo quidem nihil prestat, nec opus  
est Deo humano obsequio. Ipse autem sequentibus & seruien-  
tibus ei, vitam & incorruptelam, & gloriam aeternam attri-  
buit, beneficium præstans seruientibus sibi, ob id quod seruiunt.*

Et Dionysius Arcopagita Eccles. Hier. c. 7. Si san-  
ctam vitam egerit, fore vt *regis diuinitatis sanctas retri-  
butiones recipiat. Hanc vocat *θελας δικαιοσύνης*, diuinam  
iustitiam, qua Deus præmia bene viuentibus tribuit.*

Quod si iustitia Dei est, seu vt idem vocat *δικαιοσύνη*  
*νεύμα*, iustissima iudicia, non potest Deus non re-  
tribuere.

Et l. 3. diuinorum nominalium c. 8. *δικαιοσύνη ἡ αἰθέριος*  
*ὁ θεός, ὡς πᾶσι τὰ κατὰ ἀρχαίαν δόξαν ἐπέταξε, καὶ ἐν πο-  
τερίαις, καὶ κατὰ τὴν ἀρχαίαν, καὶ ἀγαθὴν ἰσχυρίαν, καὶ πᾶσι  
ἀνενοίας, καὶ ταῖς ἀποδείξαις ἐκείναις τὸν ὄντως ὄντα δι-  
καίουτον θεόν.* Diuina rursus iustitia que est Deus, laudatur,  
quod distribuat omnibus pro dignitate, modum bonum, pul-  
chritudinem ordinem bonum, ornatum, & omnes distributio-  
nes & ordines, deserviens vnicuique reuera termino æquissimo.

Denique eodem loco etiam causam reddit, cur vi-  
ris fortibus aduersa obuenire permittat, & quomodo  
*κατὰ ἀρχαίαν*, temporaria atque aeterna conferat, magna  
tamen varietate pro cuiusque merito.

§. 3. Eadem doctrina perpetuo vsa est Ecclesia Dei, *Meritorum  
diuersitate*  
& Iouinianum damnauit, non absolute merita infi-  
ciatum, sed eorum aequalitatem nouo errore docen-  
tem. Quid patres illi de nostris hæreticis sentient, qui  
non diuersorum paria, sed omnium nulla merita esse  
contendunt? Imo qui cælo inferos miscerent, & o-  
mnium, optimorum etiam operum meritum esse æ-  
ternam damnationem impie docent: qua disputa-  
tione etiam eo deuenerunt, vt Christi meritis deroga-  
rent. Molinæus in 51. partem harm. vt Feuarent.  
dial. 4. hæret. 31. 32. p. 263. *Errarunt monachi, inquit,  
& sacrificuli, doctoresque Papiiici, videntes merita tum in-  
carnationis, tum natiuitatis, tum temptationum & afflictio-  
num Christi. Nihil hac omnia proderant nobis, nihil po-  
terant.*

VERSVS 27. 28. & seq.

*Nunc anima mea turbata est. Et  
quid dicam? Pater, saluifica me  
ex hac hora. Sed, propterea veni,  
in horam hanc. Pater, clarifica  
nomen tuum. Venit ergo vox de  
cælo, Et clarificauit, & iterum cla-  
rificabo, &c.*

QUESTIO I.

*Que vox de cælo veniens?*

§. 1. *Æ*ternus Deus vt ostenderet, sibi carissimum  
esse filium, eiusque orationes exaudiri, pu-  
blice contestatur eum sibi cordi esse, foreque, vt ite-  
rum